



Forum Romanum Scripts

Script: Vesuvius erupit!
DATE: 24 august, ad 79

Salutatio

Favonius: Salvete, omnes! Mihi nomen est Marcus Favonius et hoc est Forum Romanum!
Quid novi est hodie? Brevi tempore videbimus. At primum, ecce Quaestio Hodierna!

Quaestio Hodierna

Lector: Quaestio hodierna est de eruptione Vesuviana:
Cur Gaius Plinius, iunior, non vult ire cum patruo suo
ad eruptionem investigandam?
Responsum dabitur ad finem Fori Romani.

QVID NOVI?

Favonius: Et nunc videamus quid novi sit. Hos nuntios modo recepimus. Mons Vesuvius erupit!
Tria oppida in Campania, Pompeii et Herculaneum et Stabiae magno in periculo sunt.
Hodie paulo post meridiem terrae totam per Campaniam murmure maximo tremefactae sunt
atque magna atraque nubes vomitari summo ex monte visa est. Nostra Iulia Pauli est in situ ipsissimo.
Heus, Iulia! Adesne?

Iulia: Adsum, Marce. Salve!

Favonius: Et tu salve! Quid accidit apud te?

Iulia: Plurima accidunt! Late longeque circum Montem Vesuvium caelum est tenebricosum - atque fiunt
tremores vehementes tota per loca!

Favonius: Quidnam agit populus?

Iulia: Alii sunt territi, sed maior pars hominum est aliquantum stupefacta, nam nemo tantum spectaculum antea
vidit.

Favonius: Ubi tu es, Iulia? Pompeiisne?

Iulia: Non Pompeiis, sed prope Misenum, ubi statio navalis est.

Favonius: Ergo eamus Misenum ubi est Iulia Pauli.

ET ALIA (Interview with Pliny the Younger)

Iulia: Mecum est Gaius Plinius Caecilius Secundus, cuius patruus est Gaius Plinius Secundus, vir militaris et scriptor clarissimus. Salve, Gai!

Gaius: Salve tu; at verum non sentio tam salvus!

Iulia: Tibi consentio! Ubi est patruus?

Gaius: Abhinc quattuor horas discessit Plinius. Navem ascendit quod voluit auxilium ferre ad cives sub monte Vesuviano habitantes.

Iulia: Qualis vir fortis! Certe periculosum est!

Gaius: Sic est. Saepe autem dixit noster Plinius, "Fortes Fortuna iuvat."

Iulia: Nonne tu voluisti cum patruo ire?

Gaius: Is me rogavit, sed malui domi manere ad studendum.

Iulia: Ad studendum?! Nonne tu voluisti tantum spectaculum propius videre? Fortasse, Gai, tu eras magnopere territus.

Gaius: Egone? Haud! Mea studia pluris mihi sunt quam ulla spectacula!

Iulia: Plane video. At tamen, dic nobis de eruptione, si vis.

Gaius: Narrabo. Paulo post meridiem vidimus nubem maximam late extendentem sic ut rami arboris super Montem Vesuvium, atque etiam fulgores frequenter fumososque ignes vidimus!

Iulia: Quid fecisti?

Gaius: Egone? Nihil. Sed optimus patruus navem ascendit ad hanc rem investigandam; ab illo tempore ipso nihil amplius de Plinio aut vidimus aut audivimus.

Iulia: Malam rem! At tamen, gratias agimus, Gai. Totum est, Marce Favoni. Rursus ad te.

Favonius: Gratias plurimas, Iulia. Plus de hac calamitate vobis narrabimus quando poterimus.

Tempestas Hodierna

Favonius: Tempus est audire de tempestate. Quam ob rem, hic est Aulus Serenus!

Serenus: Gratias tibi ago, Favoni. Videamus quaenam sit tempestas hodie. Circum Romam hodie sol lucet atque vix unus nimbus in caelo. Gratias Iovi! Auspicia autem sunt bona ad tempestatem crastinam. Sed ut iam audivimus, tempestas non tam bella est in Campania, apud Montem Vesuvium. Fortasse Volcanus valde est iratus Pompeianis! Nunc videamus quaenam sit tempestas circum Mare Nostrum. In Britannia pluit ut semper. Pluit quoque in Gallia. In Hispania sol vehementer lucet. Item in Africa, ubi est tam caldus quam furnus. In Graecia est caelum plerumque serenum. Iam satis est. Aulus Serenus sum atque spero caela sint vobis valde serena!

Responsum Quaestioni

Favonius: Multas gratias, Serene. Et nunc, ecce responsum quaestioni hodiernae.

Lector: Quaestio hodierna erat ut sequitur:
Cur Gaius Plinius, iunior, non vult ire cum patruo suo ad eruptionem investigandam?
Responsum est hoc: Maluit studere.

Dictum Hodiernum

Favonius: Nunc tempus est videre nostrum Dictum Hodiernum!

Lector: Hoc est dictum hodiernum: Fortes Fortuna iuvat.

Valedictio

Favonius: Verba notanda.
Ut repetamus nuntios principales: Mons Vesuvius adhuc erumpit.
Tria oppida, Pompeii Herculaneumque et Stabiae maximo in periculo sunt.
Totum est ad hanc editionem Fori Romani. Gratias summas agimus et di vobis faveant. Valetate omnes!